

05

A

1186



1914. n. 2199

POSITIONES XV

De

ANIMA RATIO
NALI.

Quas

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE

Iussu atq; Decreto Amplissimæ

Facultatis Philosophicæ PRO LOCO in ea
sibi assignato Publico Examini submittit

In Auditorio Majore

M. MARTINUS TITIUS

Quedlinburgensis Saxo.

RESPONDENTE

ALEXANDRO CHRISTIANI

Demmino-Pomerano.

V^o Junij horis à VI. matutinis.



VVITTEBERGAE,

Typis Rüdingerianis, Anno 1612.

*Reverendo & doctiss^o viro Dn. Joanni Mejerio. Diacono Bene
Dno amico meo & fautori singulari mitto hoc opericulum
P. Mejer*



05 A M86



Uæ de Hominis anima S A P I E N T E S acutè di-
sputant, ea ipsa magnam partem ex ijs sunt, et-
iam de ipsorū unanimi sententia, quæ ἐν ἑμέσς
γνώσει. Intricatum enim est ac plenum ob-
scuritatis negotium mentis naturam perscrutari. Hinc illa
sententiarum divortia, atq; insuper apud nonnullos opina-
tionum **nu**per natarum monstra, quæ ita arrident pruri-
entibus auribus ut optima quæq; cum ipsis non rarò con-
mutent. Quorum intemperiem cum solus D E U S Opti-
mus Maximus ad sanitatem revocare possit, illi solum hæc
emendanda relinquimus, & pro nobis horum deliramen-
torum affectus deprecamur. Nobis animus semper fuit
parti sapientū & majori & doctiori adhærescere, & ab ijs,
tanquam veritatis sacerdotibus, mutuari quæ intellectum
nostrum inscitæ rubigine poterant exuere, etiam illa ali-
quando quæ ad æs non exeunt, neq; judiciō omnium, utilia
sunt ad machinas farinarias conficiendas, modò videban-
tur animum ad alia, & superiora quidem, acuere posse, ac
deniq; eo splendore afficere, ut præluceat sibi ad nanciscen-
dum primi opificis similitudinem. Qui ut omnia plenè ac
perfectè est, ac præter & supra omnia; ita eos qui scientias
rum studiosi sunt, suos esse voluit, ipsorumque intellectum
rerum Dominum constituit. De anima ergò quæ nunc di-
cemus rationali, ipsi nos nō finximus, sed ab ijs didicimus,
qui in sapientiæ schola & veritatis teatro nobis & voce &
litteris præiverunt. Super hæc sophias cultorum rogamus
sententias, parati semper verioribus monstratis & demon-
stratis nostra deponere. Scimus in hac palestra & VINCE-
RE & VINCI pulcrum atq; honestum esse.

A 2

Poste

POSITIO I.

Anima rationalis est SUBSTANTIA.

Quia

1. Non est accidens, quippe per se præstantissimarum operationum causa.
2. Cum corpore unum facit suppositum, HOMINEM; eidemq; substantiam actualem largitur ab omnibus alijs distinctam.
3. Vi, virtute, sive facultate propria agit. At nullum accidens agit nisi per vim suæ substantiæ.

POSITIO II.

Anima rationalis est SUBSTANTIA IN-
COMPLETA.

Quia

1. Corpus animæ junctum aliàs esset accidens. Notissimum est σοιχειον primæ Philosophiæ. *Quicquid ad substantiam in actu completo existentem accedit, id accidens est.*
2. Si anima esset substantia completa, quidni etiam corpus? Atq; sic anima & corpus, forma & materia erunt species disparatæ completæ, & consequenter HOMO Ens unum per accidens. *Ex duabus enim disparatis speciebus naturaliter unum per se fieri non potest.*
3. Condita est à Deo anima, ut tantum & semper pars sit alterius. Ipsa ergò completum quid nequit esse.

POSITIO III.

Anima rationalis est Substantia SPIRITUALIS.

Quia

1. Prædita est vi intelligendi & volendi.
2. Insensibilis est, immobilis, indivisibilis & omnis quantitatis expers.

3. Non

3. Non est *σῶμα* corporea, quia *ἀυλῶς*. Ergo erit Spiritualis. Omnis enim substantia vel corporea est, vel incorporea sive spiritualis.

POSITIO IV.

Animæ rationalis cum corpore unio naturalis est.

Quia

1. Aegrè, difficulter atq; non nisi maxima cum lucta amborum fit dissolutio quæ naturalissimum desiderium esse arguit, quò se invicem complectuntur.
2. Ipsa animæ perfectio in hac unione consistit. Etenim mediantebus *φαντάσμασι* acquirit sibi anima scientiam, juxta illud *πολυβούλητον*: Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.
3. Omne principium (incompletum *ὄν*) naturaliter tendit ad sui perfectionem, quam non nisi in composito obtinet. Ergò & anima rationalis.

POSITIO V.

Anima rationalis vera Hominis Forma est.

Quia

1. Ipsa Hominem primò constituit, atq; *εἰ κατ' ἐξοχήν* dat Esse.
2. Per ipsam Homo ab omnibus alijs creaturis essentialiter differt.
3. Hominis propria operatio, videlicet Intellectio, ab ea promanat.

POSITIO VI.

Anima rationalis non est assistens forma, ut Averroistæ contendunt.

Quia

1. Secundum ipsum Aristotelem, primum assistentium formarum autorem, nulla assistens forma ad essentiam & substantiam *ὄντος*, cui assistit, facit; sed tantum ad eius operationes & functiones concurrat.

▲ 3

2. Quæ

2. Quæ animæ propria sunt, toti Homini assignamus. Rectè dico: Homo intelligit, homo vult &c. At assistens forma, ei cui assistit, nihil horum tribuit. Cœlum quis ob assistentes formas Intelligentias, sui motrices, hæctenus dixit intelligere & velle?
3. Ipsa Hominis vita, sensus & universa eius operatio delirium Averroistarum refellit.

POSITIO VII.

Anima rationalis, quia Hominis forma est,
bruto nulli inest.

Quia

1. Nullum brutum intelligit, nam cognoscere nequit universalis intellectiois principia.
2. Omnium brutorum operationes eodem semper se habent modo, etiam nobilissimæ. Non ergo à ratione profluunt & voluntate.
3. Quod unam constituit speciem, alteram qui potest? Nisi & Asinum & leporem, elephantem & canem Homines esse fingere velis.

POSITIO IIX.

Anima rationalis est (*specifica illa forma*) quæ omnibus individuis humanis dat Esse.

Quia

1. Nulla datur in individuis singularis forma distincta à forma speciei: sed hæc ipsa fit singularis per solum existendi modum, sive cum communicatur materiæ, docentibus ita Metaphysicis.
2. Nullæ dantur in Individuis humanis, verbi gratia, Petro & Paulo singulares affectiones, quæ salva essentiæ ipsorum integritate non possint abesse; nullæ insuper operationes singulares per tales affectiones expeditæ. Quomodo ergo præter animam rationalē aliam quandam in Petro statuemus? Novæ formæ præsentia, consensu Doctorum, tantum ex affectionibus
nibus

nibus, quæ essentiam comitantur, & cum ea ἀχωρίτως cohærent, atq; novis operationibus colligitur.

3. Quæcunque in Individuis humanis essentialiter cohærent, ea omnia à forma specifica, anima rationali, emanant. Contrarium facile non demonstrabitur.

POSITIO IX.

Anima rationalis propagatur per Traducem.

Quia

1. Ἄνθρωπος ἀνθρώπον γεννᾷ, ὁ καὶ ἕκαστον τὸν τινὰ Arist. λ. Met. 3^o & Homo sibi simile producit. Ergo & materiam & formam propagat.
2. Bruta non corpus tantum, sed & animam à parentibus trahunt. Cur non & Homines modò simili? Æquè efficax est in Homini- bus &, nî fallor, longè efficacior divina illa Benedictio: *Crescite & multiplicamini.*
3. Provenit à parentibus vitium Originis, quod in anima suam sedem habet. Ergò & anima ipsa propagabitur. Nullum enim accidens extra subjectum subsistere potest. Πώρισμα. Qui traducem non asserunt, vel peccatum originis negant, vel Deum peccati causam faciunt, aut saltem injustitiæ ipsum accusant: Quod utrumq; impium.

POSITIO X.

Anima rationalis tota est in toto corpore.

Quia

1. Forma est, cujus officium est non unam aut alteram corporis partem, sed ipsam Totum, quantum quantum est informare, im- meare & permeare.
2. In parte una si esset κατ' ἑστίαν suam, verbi gratia, in corde aut cerebro, vis verò eius in partibus cæteris, quæ Cardani erat opinatio, erit vis illa vel substantia, vel accidens. Si substan-
tia

cia, ergo anima in illis quoque est. Si accidens, ergo non sunt animata illa membra, neq; viventis habent formam. Quin imò corpus nostrum erit unum per accidens.

Pulcrè Scaliger. *Dico tibi (Cardanum alloquitur) intellectum esse etiam in pedibus. Vna enim in nobis anima est suis omnibus undiq; stipata potestatibus, nempe essentialibus sibi. Vbi verò instrumenta sunt, ibi exercere actum suum ipsam potestatem. Si enim oculus esset in digito: videret digitus per oculum, nullà accitâ à cerebro potentia. Exercit. 307. sect. 37.*

POSITIO XI.

Anima rationalis una & sola est in Homine.

Quia

1. Scriptura primo Homini unam inspiratam esse docet, & nullibi plurium meminit. Quicquid verò datum fuit Adamo per creationem in ordine Naturæ instituendo, id propagatur generatione in ordine Naturæ constituto. Atq; inde est, quod pij Patres multis in concilijs anathema dixerunt pluralitatem animarum in uno homine asserentibus.
2. Univerſalia extra specialia ponere absurdum est, quod faciunt tamen, qui & animalis & animati corporis formam, sensitivam scilicet & vegetativam animam præponunt Rationali in fœtus formatione; atq; etiam anteponunt in homine jam formato tanquam ab ultima hac distinctas, immemores eius quod species essentialiter includat genus.
3. Quid etiam pluribus opus, cum una sufficiat, & omni labori ferendo sit? Non esse præter necessitatem multiplicanda Entia communis vox Philosophorum est. Et commodum est simile Aristotelis, quod sicut in quadrangulo est triangulum, in Pentagono triangulum & quadrangulum: Ita in anima sentiente insit vegetativa, in rationali autem utraq; & sensitiva & vegetativa.

POSL

POSITIO XII.

Animæ rationalis immortalitatem credidit Aristoteles, & probant Rationes ex ipso Philosophiæ medullio derivatæ.

CREDIDIT ARISTOTELES. Nam l. 2. d. anim. §. 21. scribit intellectum esse aliud genus animæ & à cæteris diversum, idq; SOLUM (μόνον) perinde ac perpetuum ab eo quod occidit, sejungi separarique posse. Vide etiam §. 49. & 65. l. 1. d. anim. & §. 11. l. 2. d. anim. item §. 20. l. 3. d. anim. Confer caput 3. l. 2. de gen. anim. & clarissimè patebit mens Aristotelis.

RATIONES idem probant. Nam

1. Anima rationalis non est educta ex potestate materiæ; Spiritus enim est; sed in materiam inducta, à qua tantum pendet quoad FIERI non quoad ESSE simul. Ergò neq; obnoxia erit passionibus quæ δύναμιν τῆς ὕλης insequuntur.
2. Anima rationalis operari potest citra organa etiã corporea, quod ex modo quò mens nostra intelligit, speculatur & dijudicat manifestè liquet; apertius verò ex intellectus & appetitus pugna cõstat. Ergò etiam extra corpus esse & existere potest, secundum tenorem communis & verissimæ regulæ. Quemadmodum se res habet in operari, ita & in esse. Rotundè Philosophus: Ὅσων, inquit, ἐστὶν ἀρχῶν ἢ ἐνέργεια σωματικῆ, δῆλον ὅτι πάντας ἀνδρῶν σώματος αἰδύναται ὑπάρχειν. Quorum principiorum actio est corporalis, hæc sine corpore esse non posse certum est. l. 2. de gen. anim. c. 3.
3. Omnis forma tùm demum naturaliter ad interitum properat, quando per contrarias qualitates suis (qualitatibus) privatur, his enim destituta cum operari nequeat, nec Esse amplius desiderat, juxta Metaphysicorum σοιχεῖον. Quodlibet in quantum est operatur, & quod desinit ab operatione, desinit ab Esse. At talis interitus caussa in anima rationali nulla est, quare nec desiderium, nec ἐπομένως illud insequens effectus.

B

POSI-

POSITIO XIII.

Anima rationalis per facultates operatur à
semetipsa realiter distinctas.

Quia

1. Nulla substantia (creata) est immediatum suæ operationis principium. Deus ut per essentiam suam est, ita per eandem operatur. Creatura quia per aliud existit, etiam per aliud munera sua expedit.
2. Si operationes ἀμέσως ab animæ γσία promanarent, καὶ αὐτὸ ἐαμ comitarentur atq; ei semper inessent. Quo modo ab anima agendi libertas tolletur, nec unquam ipsa in suis actionibus cessabit. Ἄρπον.
3. Facultas animæ tantum ad operandum aptitudo est. Atqui talis in serie Qualitatum est. Contrà anima rationalis ad classem substantiarum reduci debet. Quemadmodum itaque distincta sunt ὑποκείμενον γένος & πάθος; αἰτία, ἀπαρτί; γσία & συμβεβηκός: ita etiam Anima rationalis, eiusq; δυνάμεις.

POSITIO XIV.

Animæ rationalis facultates, Intellectus scilicet & voluntas, differunt realiter.

Quia

1. Bellum ἀσπονδον nonnunquam inter ipsas intercedit, & lucta gravis. Suadet appetitus? dissuadet intellectus. Suadet hic? repugnat ille. At idem cum semetipso non luctatur, quippe omnis vera pugna, ad minimum, inter duo est.
2. Aliud objectum intellectus est, τ' ἀληθές nempè; aliud voluntatis, τ' ἀγαθόν.
3. Actus diversi diversarum potentiarum sunt indices. Iam νόησις non est βίλησις, ergò nec intellectus voluntas.

POSL

POSITIO XV. & ULT.

Anima rationalis in actionibus suis
(*politicis*) utitur voluntatis li-
bertate.

Quia

1. Nihil facit coacta necessitate. Nam voluntas non est noluntas.
2. Sublatâ voluntatis libertate frustra feruntur leges, frustra omnis institutio est, frustra præmia justis, pœnæ injustis decernentur. Leges enim de ijs sunt quorum efficiendorum facultas in nobis est. Et cur puniri debet, qui non potest non mala agere?
3. Præter experientiam, quâ thesis graviter corroboratur, Aristoteles suffragatur. Ἄνθρωπος, inquit, ὄντι ἀρχὴ καὶ γεννητὴς τῶν πράξεων, ὡς πατήρ καὶ τέκνων, 3. Eth. Nicom. 7. Et: Ἐφ' ἡμῖν ἔσται τὸ ἰπικέσι καὶ φαύλοις εἶναι. Item. Ἐφ' ἡμῖν ἡ ἀρετὴ ὁμοίως δε καὶ ἡ κακία.

CORONIDES.

I.

Non potest PHILOSOPHUS firmiter demon-
strare animam in tempore à DEO CREATAM
ESSE.

II.

Nescit PHILOSOPHUS animæ & corporis u-
nionem fuisse olim felici concordia ligatam, nun-
quam morte dissolvendam.

III.

Nescit PHILOSOPHUS ex quo primùm illa
discor-

Σ
discordiæ semina serpere, & dulcissimam illam a-
nimæ & corporis unionem solvere cœperint.

IV.

Nescit PHILOSOPHUS in quem locum mi-
gret anima à corpore soluta.

Δόξα σοὶ μόνῳ, Κύριε παντὸς κτίσεως.

F I N I S.




05 A M86


ULB Halle

3

003 764 885







XV

... ATIO

... I.

... XILIANTE

Amplissimæ

... LO CO in ea

... mini submittit

... majore

... TITIUS

Saxo.

... E

CHRISTIANI

... rano.

... natutinis.

... GAE,

Anno 1612.

*Dr. Joanni Meijero. Diacono Bene
singulari merito hoc operatum
Presses*